



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

I. De Accusationibus, Denunciationibus & Inquisitionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

fraudis probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia causa subsistat, quae iudicem ad hoc beneficium concedendum movere debeat. Et a si tempore laeta asseratur, non fiet restitutio, nisi ad tantum temporis, in quantum se laetam esse legitime probaverit.

*Restitutio in integrum, semel negata non conceditur amplius, etiam in alio iudicio, nisi duobus casibus hic contentis. h. d.*

Quod si semel b restitutio in integrum in alio iudicio denegata fuerit, praeter quam ad appellationem omnimodam, non erit eidem amplius concedenda, nisi novis defensionibus ad huiusmodi beneficium admittenda fuerit.

*Poeni, qui & quando possunt de restitutione in integrum cognoscere. h. d.*

Huiusmodi e verò restitutionum cause solum coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis tractari poterunt, & terminari: sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fue-

a *Canon. qui. eos. tit. b. C. fin. eos. si. extr. c. C. pen. extr. ed. si.*

rit, sive commissio eis negotio, huiusmodi questionem incidere contingat. Delegati verò ab Ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo iudicandi facultatem, sive arbitri, de his causis cognoscere nequeunt, nisi coram eis incidenter mota fuerint.

*Per querelam & supplicationem retractatur sententia. Et sub qua forma supplicatio porrigatur. h. d.*

Per supplicationem a quoque Principi porrectam, aut per querelam appellationis remedio destitutis subveniri solet. Erit autem supplicatio intra decem dies post sententiam offerenda: quo subsecuto sententia non aliter executioni mandabitur, quam si victrix pars idoneam fidei iuramentum praeberit, tantum restituendi cum legitimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, si legitima retractatione sententia resolvatur. Et nisi sub hac forma supplicatio porrigatur, executio sententiae sine fidei iuramento procedet, retractationis iure illi servando, qui se gravatum putaverit, ut intra biennium supplicare valeat.

a *Gl. in vers. supplicavit. c. ex. l. extra. extr. av. eo. 10.*

FINIS LIBRI TERTII.



INSTITUTIONUM  
JURIS CANONICI.  
LIBER QUARTUS.

DE ACCUSATIONIBUS, DENUNCIATIONIBUS, ET INQUISITIONIBUS.

TITULUS PRIMUS.

*Criminalia Iudicia non habent aliquid simile cum Civilibus. Et instituantur per Accusationem, Denunciationem, & Inquisitionem. Et accusationem inscriptio, denunciationem charitativa monitio praecedere debet. hoc dicit.*



**C**RIMINALIA Iudicia nihil semè simile habent cum ceteris Iudiciis, de quibus proximè locuti sumus: magneque diversitas eorum est, & in institutis, & in exercendis. Instituantur autem aut per Accusationem, aut per Denunciationem, aut per Inquisitionem. Per Accusationem, cum solenni praecedente inscriptione a per Accusatorem Rei crimen ad Iudicem deferatur. Per Denunciationem, ut cum nulla praecedente inscriptione, sed tantum charitativa monitione ad Iudicem notitiam crimen deducitur. Ideo autem, cum in modum Accusationis crimen objicitur, est inscriptio ne-

cessaria, non cum in modum Denunciationis: quoniam ad depositionem instituitur accusatio, sed ad correctionem est denuntiatio faciendae.

*Accusator non probans obiectum crimen, tenetur ad poenam rationis, nisi suam innocentiam purgaverit: & interim dum purgat, est suspendendus. h. d.*

**A**ccusator igitur, si legitimis destitutus sit probationibus, eam poenam a debet incurrere, quam si probasset, reus sustinere debebat. Denuncians verò licet ad rationem non teneatur, si tamen b in probatione deficiat, donec suam purgaverit innocentiam, & ab officio & beneficio suspendendus erit: ut ceteri simili poena perterriti ad aliorum infamiam facile non prosiliant.

a *Canon. qui. crimen. 2. qu. 1. 1. & c. super. hu. in. princ. ext. 10.*

a *Canon. qui. non. probare. 2. qu. 3. & can. qui. crimen. 2. qu. 1. 1. c. 2. ext. de. calum.*



*Noni. quando procedendum fit per inquisitionem. h. d.*  
**P**er inquisitionem criminale iudicium instituitur, cum precedente diffamatione a, ac quasi denunciante fama, de crimine iudex inquirat. Constitutum est enim, ne criminum facilis nimis sit obiectio: ut sicut ad accusationem legitima procedere debet inscriptio, & b denunciationem charitativa monitio: ita & inquisitionem clamorosa insinuatio e procedere debeat.

*Confessus crimina coram inquisitore, non poterit confessionem suam eo prae-textu revocare, quod non processerit fama inquisitionem. h. d.*

**S**iquis d tam, postquam coram eo, qui contra ipsum super certis criminibus inquisitor deputatus fuerat, eadem crimina confessus fuerit, frustra postmodum eo prae-textu confessionem suam impugnat contendet, quod super eisdem criminibus non fuerit antea diffamatus.

*Si iudex processerit non excipiente inquisito de non diffamatione, processus tenebitur. h. d.*

**I**dem etiam erit e, si is, cui contra te commissi super certis criminibus fuerit inquisitio, te praesente, neque quicquam super hoc excipiente, infamiae inquisitione, ommissa ad veritatem eorumdem criminum inquirendam processerit. Nec enim processum huiusmodi, eo quod non fuit de infamia primitus inquisitum, ulterius impugnat poteris.

*Si crimen opponatur excipiendo, non est necessaria inscriptio. h. d.*

**A**ccidit autem interdum, ut alicui nec accusando, nec denunciando, nec inquirendo, sed excipiendo crimen opponatur, ut puta f, cum quid obicitur, ut quis ab accusatione, vel testificatione repellatur: quo casu non erit inscriptio necessaria.

*Non est necessaria inscriptio, si crimen obicitur, ut quis ab officio vel beneficii affectatione excludatur: quo tamen casu si post confirmationem opponatur, deficiens in probatione puniatur poena extraordinaria. h. d.*

**S**ed q an, si propterea crimen opponatur, ut quis a promotione officii, vel beneficii affectatione excludatur, necessaria tunc sit inscriptio? Et proditum est, si ante confirmationem obicitur, non cogi quendam inscribere: quia crimen hoc modo probatum promovendum quidem impedit, non tamen iam promotum dejicit. Post confirmationem vero, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus, quia & ab obtinendo repellit, & ab obtento dejicit, ad extra ordinariam poenam secundum arbitrium iudicis citra vinculum inscriptionis, si defecerit in probando, est excipiens attingendus.

DE DVPLI CI PVRGATIONE.

TITVLVS II.

*Quid fit purgatio & quatuorplex. Et quod vulgari purgatio est penitus improbat. h. d.*

**C**ontingit etiam interdum, ut licet adversus criminiosum nec accusator consistat, neque testibus, aut propria sit confessione convictus, ita tamen alicujus criminis, vel maculae publica laborat infamia, quod super manifesta ferè nota eidem purgatio fit indidenda. Est autem purgatio, demonstratio innocentiae super obiecto crimine. Purgationis duae sunt species h, vulgaris scilicet, & Canonica. Vulgaris purgatio est, quam vulgus vel invenit, vel sequitur: ut, cum aqua frigida, vel candentis ferri, vel singularis certaminis quis subit iudicium: quae cum Deus in ea tentari videatur, merito iusta est factis Canonibus exulare;

a C. qualiter & quando. el. ext. cod. b Cap. 2. ext. cod. c C. inquisitione. §. tertia. vers. ad hac. ext. cod. d Car. cod. tit. in o. c. C. fm. eo. 22. in o. f C. super his. §. cum aut. ext. eo. 22. g d. c. super his. §. cum aut. ext. eo. 22. h gl. rub. ex. de pur. vulg.

licet enim quoddam singulare certamen invisse divina probat historia, nunquam tamen ut id pro lege teneatur, divina sanxit autoritas.

*Quid fit Canonica purgatio. Et quales esse debent compurgatores. h. d.*

**C**anonica purgatio dicitur, quae factis Canonibus comprobata: ut cum a de crimine infamatus, iure se non esse tali crimine, vel macula inquinatum & cum compurgatorum manus eundem a crimine immunem, & verum credere illum jurasse, ipsa quoque iurejurando firmat. Erunt autem compurgatores huiusmodi honestatis & opinionis, ut verisimile sit, eos amore, vel odio, vel obtentu pecuniae non dejerare: necesse etiam est, ut eos, quem purgare intendunt, vitam & mores notos habeant.

*Deficiens in purgatione habetur pro convicto. Et super iuramento non est indidenda purgatio. h. d.*

**Q**uicumque b verò in Canonica purgatione defecerit, perinde puniendi sunt, atque si de crimine, de quo diffamati fuerint, legitime convicti, vel confessi fuissent: nisi tamen aliud iudicantis aequitas statuendum duxerit. Planè super notorio e nulli erit indidenda purgatio, sed tantum condemnationis promulganda sententia: cum patrat sceleris evidentia, neque accusatoris clamore indigeat.

*Criminum quadam solum Deum laedunt, quadam etiam homines. h. d.*

**C**riminum autem quaedam divinae maiestatis laedorem continent: quaedam verò & hominibus damnnum irrogant. Quae Deum principaliter laedunt, haec tamen habentur, simonia, haeresis, schisma, apostasia, sacrilegium, maledicentia, sacrilegium. Hominibus vero laesionem inferunt, homicidium, adulterium, stuprum, rapina, furtum, usura, falsitas, iniuriae: de quibus distinctius, sed tamen breviter videamus.

DE SIMONIA.

TITVLVS III.

*Quid fit Simonia, & unde dicta. h. d.*

**S**imonia d nihil aliud est, quam studiosa voluntas, sive cupiditas emendi, vel vendendi spiritualis, vel spiritualibus annexa. Vel, simonia est rei spiritualis vel spiritualibus annexa, cum aliquo temporali facta commutatio. Appellata est autem a Simone mago, qui primus huius detestandi sceleris auctor fuit.

*Simonia aut est simplex conventionalis, aut est mentalis. h. d.*

**S**imonia duplex est species. Nam aut est conventionalis, aut mentalis. Conventionalis est, cum aut aliquid datum est, vel de danda in posterum traditum intercesserit, & conventio. Mentalis est, cum nullum quidem intercesserit factum e, sed sola prava dantis, aut recipientis mens & intentio concurret: & propterea rudi, sed congruenti vocabulo mentalis appellatur.

*Cuiuscumque muneris receptione Simonia contrahitur. Et appellacione pecuniae continetur, quidquid homini habere in terra. h. d.*

**C**ontrahitur f autem Simonia, non modo cum pecunia ipsa pro re facta datur, aut recipitur, vel danda & recipienda tacite vel expresse conventum fuerit: verum etiam cum dans à lingua, vel obsequio recipientis munus exigit. Cum enim spiritualia tribuens, manens ab omni munere excutere debeat, id tunc facere intelligitur, cum pro divinis rebus non solum pecuniam nullam, sed nec humanum obsequium, aut gratiam ali-

a Cap. quotiens. extr. de purg. can. & eam. monent. eod. tit. b C. cum lex. ubi gl. & c. inter sibi iudicatos. extr. de purg. Canon. c C. pen. ext. dist. tit. d gl. in sum. 1. g. 1. e ext. canon. 2. cod. tit. f gl. in sum. 1. g. 1.

